

Der nachstehende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich zu erläutern!

I. Text

Das Ende des Zweiten Makedonischen Krieges

1 Omnibus Graeciae ciuitatibus hanc pacem adprobantibus soli Aetoli
 decretum decem legatorum clam mussantes carpebant: litteras inanes
 uana specie libertatis adumbratas esse. cur enim alias Romanis tradi urbes
 nec nominari eas, alias nominari et sine traditione liberas iuberi esse, nisi
 5 quod quae in Asia sint liberentur, longinquitate ipsa tutiores, quae in
 Graecia sint, ne nominatae quidem intercipientur, Corinthus et Chalcis et
 Oreus cum Eretria et Demetriade? nec tota ex uano criminatio erat.
 dubitabatur enim de Corintho et Chalcide et Demetriade, quia in senatus
 consulto, quo missi decem legati ab urbe erant, ceterae Graeciae atque
 10 Asiae urbes haud dubie liberabantur, de iis tribus urbibus legati quod
 tempora rei publicae postulassent id e re publica fideque sua facere ac
 statuere iussi erant. Antiochus rex erat, quem transgressurum in Europam
 cum primum ei uires suae satis placuissent non dubitabant: ei tam
 opportunas ad occupandum patere urbes nolebant. ab Elatia profectus
 15 Quinctius Anticyram cum decem legatis, inde Corinthum traiecit. ibi
 consilia de libertate Graeciae dies prope totos in concilio decem
 legatorum agitabantur: identidem Quinctius liberandam omnem
 Graeciam, si Aetolorum linguas retundere, si ueram caritatem ac
 maiestatem apud omnes nominis Romani uellent esse, si fidem facere ad
 20 liberandam Graeciam, non ad transferendum a Philippo ad se imperium
 sese mare traiecisse. nihil contra ea de libertate urbium alii dicebant:
 ceterum ipsis tutius esse manere paulisper sub tutela praesidii Romani
 quam pro Philippo Antiochum dominum accipere. postremo ita decretum
 est: Corinthus redderetur Achaeis ut in Acrocorintho tamen praesidium
 25 esset; Chalcidem ac Demetriadem retineri donec cura de Antiocho
 decessisset.
 Isthmiorum statum ludicrum aderat, semper quidem et alias frequens cum
 propter spectaculi studium insitum genti, quo certamina omnis generis
 artium uiriumque et pernicitatis uisuntur, tum quia propter
 30 opportunitatem loci per duo diuersa maria omnium rerum usus
 ministrantis humano generi, concilium Asiae Graeciaeque is mercatus
 erat. tum uero non ad solitos modo usus undique conuenerant sed
 expectatione erecti qui deinde status futurus Graeciae, quae sua fortuna
 esset.

Z. 29: pernicitas = agilitas

II. Aufgaben zu Sprache und Stil:

1. Bestimmen Sie das Bedeutungsfeld von *carpere* (Z. 2) und von *lingua* (Z. 18)!
2. Erklären Sie die Infinitive in dem mit *cur* beginnenden Satz (Z. 3-7)!
3. Erläutern Sie den Relativsatz *quem [...]* *dubitabant* (Z. 12-13) in syntaktischer Hinsicht!